Guillermi de podio presbiteri In enchiridio de principiis musice discipline Contra negantes illa et destruentes. Ad Johanem de vera decretorum Doctorem eximium et ecclesie Valentie precentorem dignissimum Prologus feliciter incipit

Quanti ab ineuntibus seculis ad hanc usque diem post boetium principem nostrum de musice disciplina pro suo arbitrio duntaxat. et non secundum illam scripsisse inventi sunt. quo nichil arrogantius. et quanti illos sequentes eam ob rem decepti atque deperditi. dictu est inexplicabile. Quid enim in hoc aliud sequitur. nisi ut ab indoctis. alii: atque etiam alii indocti efficiantur. Illi enim per ignorantiam principiorum eius de qua agimus discipline. novas condere leges. novasque illius regulas. ut se ipsos et alios quam plurimos perderent. illa negantes et destruentes ut ex dictis illorum colligitur et consequenter manifestum erit. nescii non dubitarunt. omnia enim precepta cuiuscunque facultatis. que a principiis